

*bach:  
et vitiosis  
lam  
ativi  
is commentatio*

HSt  
III  
312

14 Feb

H. St. III

312

✓

IO. FRID. BLVMENBACHII

MED. PROF. IN VNIVERS. GOTTINGENSI

EQUITIS ORD. CORONAE WESTPHALICAE

DE

ANOMALIS ET VITIOSIS

QVIBVS DAM

N I S V S F O R M A T I V I  
A B E R R A T I O N I B V S

C O M M E N T A T I O

HENNEMANNSCHE  
STIFTUNG



A C C E D V N T T A B V L A E A E N E A E.

G O T T I N G A E

A P V D H E N R. D I E T E R I C H

M D C C C X I I I .



---

### *P r a e f a t i o .*

Etsi praeclarum est, et, vt in vniuerso naturae studio ita vel maxime in physiologia organicorum vt vocant corporum impense commendandum ARISTOTELIS, viri incomparabilis, in politicorum opere monitum: non in deprauatis, sed in his quae optime secundum naturam se habent considerandum esse quid sit naturale; aequa tamen ab altera parte verum est vt quam verissimum, ludentis quoque vt aiunt naturae et a sueto tramite declinantis, imo vero et ad vitiosam et monstruosam subinde fabricam aberrantis, opera, dummodo sano cum iudicio et caute et sobrie iisdem vtaris, grauis vtique ad physiologiam illustrandam momenti esse. Inest enim, vt in summorum ingeniorum, ita in naturae ipsius erroribus semper quidquam quod discamus, quo perficiamus, quod admiremur \*).

Maxime autem hoc de insigni et multifaria luce valere constat, qua ipsius generationis mysterium vitiosae quam innuimus fabricae indagine mirifice illustratur; adeoque et ab eo inde tempore quo ad

\* ) v. MORGAGNI in *Opere di VALLISNERI* T. I. pag. 448.

*nifus formatiui* in generationis, nutritionis et reproductionis vt vocatur negotio, vim et efficaciam, cum obseruando tum meditando sedulo animum aduerti, inprimis quoque ad abnormes eius a legitimo tramite aberrationes attentus fui, non minus lucri abiisdem exspectans, quam tot alia physiologiae grauissima capita, vt de cerebri, de systematis absorbentis aliorumque organorum functione, ex pathologicis phaenomenis, morbos scil. earum partium affectionibus, adepta sunt. Neque spem euentus fefellit, siquidem hac via passim varia nondum haftenus animaduersa detegere, aliis nouum robur addere, alia vero minus bene antea opinata retractare et emendare licuit.

Cumque multimodae nifus formatiui aberrationes satis comode ad quaternas classes principes referantur, *fabricae* scil. tam *monstroae* proprie sic dictae quam *androgynae*, tum *generationis hybridae*, demumque *varietatum* in quas organica corpora degenerando exorbitant, eodem ordine staminis loco utruique passim confines obseruationes tanquam subtegmen interserere liceat.

### S. I. *Fabrica monstrofa proprie sic dicta.*

Et monstra quidem, et si ob portentosum quo plerumque vel vulgi oculos feriunt habitum, ab omni inde tempore inter prodigia relata, a chronicorum auctoribus memorata, imo vero ingens eorum farrago nuperioribus seculis integris voluminibus congesta et iconibus exhibita sint, maximam tamen partem in his operibus mere complicitatis **Lycosthenis**, **Irenaei**, **Rveffii**, **Schenckii**, aliisque eiusdem farinae non tantum perfuntorie saltem et incuriosius tractata, verum et saepissime ultra veritatem fictitiis accessionibus ornata, imo vero potius deturpata esse, est quod doleas.

Comperi hoc inprimis cum ante aliquod tempus occasio mihi praebetur, exempla eorum monstrorum, quotquot mihi apud autores innotuerant inuicem comparandi et critica lance perpendendi, quae a brutis animantibus in lucem edita, humano capite conspicua fuisse vulgo memorantur, quibusque thaumatographorum quales modo dixi opera abundant. Percrebuerat nempe fama natum esse Osnabrigi simul cum pluribus aliis catulis rite formatis, utroque parente ex eorum genere quos sagaces canes aut auuarios vocant, unum istorum

istorum pullorum humana facie insignem, quam quidem catellam (nam sequioris sexus est) mox cl. DROOP M. D. et vrbis physicus, auditor quondam meus aestumatissimus sibi comparauerat, mihiique eo scopo dono misit vt ipse de rumoris superlatione iudicare possem. Et quidem vel primo intuitu hanc fabricam alienam vnicet ad nasi aliquam deformitatem redire vidi, vtpote qui rite quidem suo loco positus, forma saltem cylindrica et insolito more prominente aberrabat; ceterum autem tantum ab humano naso abhorrebat vt potius infantilis penis aliquam similitudinem mentiretur, qualis et in aliis monstrosis partibus, humanis praesertim et suillis, cyclopibus et quidem plerumque ex situ mutato, alieno loco, nempe in fronte toties iam obseruatus est.

Ansam interim praebuit immerito famosus catulus paulo saltem ultra modum nasutus, in alias de monstrosis partibus humana facie praeditis, curatius inquirendi, quorum vero, si a vagis et infidis compilatorum relationibus disceferis, inter accuratas descriptiones et icones monstrorum, ne vnicum quidem reperi quod vlo modo humanae vere formae comparare licuerit.

Contra vero numerosa extant humanorum monstrosorum partium exempla, quae, siue vniuersi corporis habitu siue vnius alterius partis anomala conformatio[n]e haud infitiandam aliquam cum bruto quodam similitudinem p[ro]fe se ferre videntur.

Est ex horum numero memorabile specimen quod liberalitati alias cari auditoris, desideratissimi D. BORSTELMANN medici Hamburgensis debo, foetus inquam feminei, anencephali vt vocantur, sedecim circ. hebdomadum, Hamburi quondam nati quod praeter caluariae ossium et cerebri defectum, spinali quoque medulla et sterni inferiore parte aequa ac abdominalibus integumentis et musculis ita destituitur vt cor et infimi ventris viscera, hep[ar], ventriculus et intestina praeter rectum tantum non omnia, ingenti prolapsu congenito nuda foras propendeant \*). Verum non haec sunt quorum caussa huius monstri hic loci mentionem iniicio, sed propter vniuersi corporis habitum et partium principalium relationem, quibus ranianam prorsus formam adeo p[ro]fe se fert vt quicunque illud adhuc insupelle

\*) Proxime abest a simili monstrofo foetu cuius iconem exhibuit HAMMER in *Comm. litter. Nor.* vol. VII. tab. I. fig. I.

supellestile mea anatomica viderint, ad vnum omnes miram eius cum ranina forma similitudinem confessi sint. Ut enim capit is depresso figuram taceam plerisque anencephalis communem adeoque raninae analogam vt et a Gallis ea monstra bufonum capita appellen- tur, colli defectus, dorsi breuitas, in primis vero crurum si ea cum brachiis contuleris, enormis longitudine, eidem de qua agimus, comparationi locum dant. Denique et illud memorabile, in hoc quadri- mestri foetu brachia nondum vt ea aetas fert efformata, sed sub com- munibus integumentis magnam partem quasi abscondita esse, siquidem ea sub axillis altius descendunt, in cubitorum autem plica in laxum vinculum abeunt ab anteriore medii humeri parte versus antibrachii cum carpo confinium excurrens, qualem quidem brachiorum obuolu- tionem, ab aliis et a me ipso in tenerorum humauorum embryonum dissectione saepius obseruatam in ranarum quoque gyrrinis spectari omnes nouimus. Quare et pridem egregii per comparatam anato- men physiologi, HARVAEVS, GREW, LISTER al. humani foetus successiuam metamorphosin cum ea contulerunt quam gyrrinum in ra- nam transformandum subire oportet.

Nuper vero cl. viri AVTENRIETH \*) ac FR. MECKEL \*\*) hanc embryonum et foetuum humanorum metamorphosin, eorumque in successiuis incrementi stadiis cum brutis animantibus diuersarum classium analogiam numerosis et curatissimis dissectionibus prosequuti sunt, quibus omnibus collatis vtique verisimillimum videtur in humani foetus formatione nisum formatiuum gradatim inferiorum primo regni animalis ordinum figurentes percurrere antequam ad summum plasticae virtutis fastigium, ad humanae inquam formae producione pertingat. Facile hinc concipi potest quomodo ille nisus in hocce suo decursu non vnam ob caussam ita impediri possit vt legitimo modo vltro progredi metamque quam diximus attingere ne- queat, sed media quasi in via inque inferiore curriculi gradu subsi- stere coactus, monstruosum faltem nondumque ad humanae formae fastigium perfectum foetum perficere queat. Contra vero plane im- possibile et vltra naturae plasticae vires censem, quod nisus for- matiuus in bruti animantis conceptu, limites suos ita transcendere possit

\*) obseruat. ad hist. embryonis facient. Tubing. 1797. 4.

\*\*) tam in Abhandl. aus der menschlichen und vergleichenden Anat. Hal. 1806. 8. quam in Beytr. zur vergleich. Anat. Lipi, inde ab a. 1808. 8. c. tab. aen.

possit ut saltu quodam bestialem quae tali animanti conuenit figuram ad humanam euehere ipsi liceat. Hinc, quod iam innuimus, numerosa quidem exempla monstrorum a mulieribus partu editorum, quae animantium brutorum habitum prae se tulerunt; nullum autem cui fidere possis specimen a bruto animanti nati monstri quod humano capite, manibus pedibus humanis, aliae parte homini propria, conspicuum fuerit.

Anencephalo quem modo diximus partui, cerebro, cerebello et medulla spinali in totum desituto, alias generis monstrum per defectum ut vocant, idemque maxime memorabile iungere liceat, quod liberalitati egregii viri, cl. HEINEKEN, Medici et Professoris apud Bremenses meritissimi debeo.

Est illud foetus circ. trimestris, quem mater altera vice grauida, ex improuiso terrore percita, abortu peperit, recentem ceteroquin et plane incorruptum, et qui praeter manus informe clauatas digitisque plane carentes, pedes non solum aequa informes verum et inuicem confusos et coalitos habet, insuper vero vniuersali atresia laborat, ita ut nec aurium nec palpebrarum aut narium et oris anique vlla adsit apertura, in genitalibus autem vnicce clitoridis tenue vestigium seu potius simulacrum. (— Tab. I. fig. I. —)

Bina praeterea in hoc perfectissimo omnium atretarum quorum memini, memorabilia videntur. Quod quidem solus prodierit, non quod in plerisque humanis fetibus valdopere monstrosis observatum est, cum gemello rite formato; tum vero quod difficile sit conceptu, quomodo praeter maternum sanguinem per vmbilicalem venam ipsi adiectum vlo alio modo nutriti potuerit.

Cumque ipsa ea cuius hactenus memini monstrorum triga sequioris sexus sit, in mentem reuocat quod pridem a MORGAGNO aliisque animaduersum nuper vero cl<sup>i</sup> OTTO Professoris Vratislavensis curatore computo \*) confirmatum est, non solum anencephalorum sed et reliquorum monstrorum longe plurimos sequioris esse sexus.

Probabile

\*) A.D. GVIL. OTTO *monstrorum sex humanor. anatomica et physiologica disquisitio*. Francof. ad Viadr. 1811. 4. pag. 27.

Probabile ergo videtur nisum formatium in sequioris sexus animantium fabricatione facilius a recto tramite aberrare, in masculorum contra figuraione magis firmum et constantem esse.

### S. II. *Fabricae androgynae phaenomena.*

Respondet autem et huic asserto illud, quod nunquam quantum euidem noui masculi animantis perfecti et adulti in feminei suae speciei habitum mutatio et quasimetamorphosis obseruatā sit, cum contra seminarum tam in humano quam in aliorum animalium generibus exempla notissima sint, quae prouectiore aetate masculinum habitum quasiandrogynum vt appellare licebit, induerant \*). Quanquam enim sensu strictiore ea tantum organicorum corporum specimina pro androgynis haberi soleant, quae contra naturae ordinem generationis organa ex utroque sexu mixta habeant, latiore tamen sensu utique et ea de quibus iam agitur exempla, saltim quasiandrogynorum nomine insigniri poterunt; quo quidem vt mulieres barbatas \*\*), aut ceruas cornigeras taceam, in primis aues femellae pertinent, quae vbi effoetae oua ponere desierunt, proximis annis pennas sui sexus cum masculinis plane commutant. Et pertinent quidem ad eas species pennigerae animantium classis in quibus eam mutationem obseruatam esse nouimus: Columba oenas, Phasianus gallus, colchicus et pictus, Pavo cristatus, Otis tarda, Emberiza paradisea et longicauda, Pipra rupicola, et Anas boschas. Cumque nuper ab humanissimo GRAFF viuarii phasianini Regii quod Cassellic est inspectore, viro in suo studio peritissimo tum pulcherrimum istiusmodi Phasiani picti specimen \*\*\*), tum vero curatiorem quam antea

\*) IAC. BERENGARIUS in *Mundinum* fol. 210<sup>b</sup>. "mares perpetuo servant sexum quia natura non intendit in specie humana generare nil perfectius masculo; sed interdum repertum est foeminas conuariare sexum, quia natura semper cupit perfectionem."

\*\*) De Phaethusa Pytheae vxore HIPPOCRATES epidemicor. VI. versus finem.

cf. quoque RHODII obs. medicinal. pag. 162.

instar omnium autem docte et ex professo de eo phaenomeno differentem IAC. BURLIN de foeminis ex suppressione mensium barbatis. Altorf. 1664. 4.

\*\*\*) V. EDWARDS tab. 67.

antea mihi innotuerat de plumarum eius mira mutatione notitiam acceperim, paucis eidem immorari liceat. Non obstante perfecte masculino vestitu feminam tamen vere esse eam auem iam primo intuitu rostri iridumque fuscus color, tum et calcarum defectus docet, maxime vero anatomica inquisitio, qua quidem genitalem tubum etsi tabidum et marcore confectum tamen adhuc rite distinguendum, ouarri vero non nisi tenuia quae restabant vestigia reperi. Huiusmodi phasiani vsque ad septimum circ. aetatis annum nullatenus ab aliis suae speciei femellis distingui possunt; ab eo autem inde tempore praeterquam quod ad venerem segnes fiant maresque non amplius admittant, quoties annuo fastidio vt Plinius vocat, correpti, pennas ponunt, sensim eorum loco splendido tricolore masculorum vestitu induuntur, ita vt triennio exacto, praeter eos quos modo diximus characteres qui constanter femininis huius generis auium priui permanent, iridum sc., rostri etc., masculis phasianis pictis vt ouum ouo simillimae redditiae sunt. Ipsum illud specimen cuius ad manus habeo exuicias 15 annos viuendo expleuerat, cum aliorum id generis auium aetas raro decimum ad duodecimum excedat. Senio confectae, vt et hoc addam, vires deficiebant adeo vt neque amplius auium puluera-tricum ad quas phasiani pertinent more, se in arena volutare, neque cruribus iam rigescientibus caput digitis scalpere posset, vnde ingenti vi pediculorum phasiani obseffa erat.

Aut grauiter fallor, aut idem de quo modo differui phaenomenon auium femellarum quae ingrauescente aetate masculorum habitum induerunt, vni alterie exemplo de gallis quos oua posuisse vulgo perhibent, ansam praebuit. Quanquam enim longe plurimas de gallorum ouis putatiis narratiunculas ex errore et confusione natas esse probabile sit, omnia vero de fabulosis basiliscis exinde natis commenta ad aniles fabulas pridem explosas relegare oporteat, opera tamen pretium videtur et in gallis istis ouiparis aequa ac tot aliis figuris quibus historiam naturalem deturpatam accepimus, fontes exquirere vnde ea ortum duxerunt. Ut plurimum oua gallinarum deformia aut paruitate conspicua ex vulgi opinione pro gallorum ouis venditari, notissimum est\*). **HALLERVS** tamen suspicatur quod passim etiam in gallo materies vrinae calcarea in cloacam effusa abundare,

\*) cf. LAVR. STRAVSSII *exercitatio de ouo Galli*. Giss. 1670. 4.

undare, et aliquod coagulum ambire, ouique aliquam similitudinem imitari possit. Et reuera inter historias putatiuorum gallorum ouorum, quas studiose contuli, vna occurrit quae eam conjecturam confirmare videtur. Refert enim doctissimus **TENZELIUS** (idem qui primus fossilia elephanti ossa contra eorum opinionem vindicauit qui ea pro naturae lusibus habuerunt) in multifariae eruditionis colloquiis menstruis, habuisse virum spectabilem Kahlae ad Saalam gallum nouimestrem cui ouulo simile corpus quod in gallinario repertum erat, tribuebatur, et in cuius extremo intestino aliud eiusmodi repertum est, priore illo paullo maius et membrana obductum, qualem oua antequam posita sunt, monstrant \*).

Etiam de androgyna vtriusque sexus organorum in eiusmodi gallo praeter naturam coniugatione cogitare liceret, dummodo vel vnicum cui fidere possis tale exemplum haftenus innotuisset. Ego vero adhucdum ne vnum quidem in tota auium classe hermaphroditum vere obseruatum memini. Extat quidem in egregii ceteroquin viri **ANT. DE HEIDE** obseruationibus medicis brevis anatome, quam vero ipse rudem vocat, nec a se ipso instituta sed solum ab aliis relata, galli, qui putabatur hermaphroditus, quae vero adeo manca et in pluribus suspecta videtur vt vix fidem mereri censenda sit.

Vtut vero aliis de hoc gallo sentire lubeat, mihi sane verisimilimum videtur plurima quae vulgo pro gallorum ouis vendita sunt specimina a gallinis posita esse quae aut inde a iuuentute masculorum habitum imo passim et propensiones prae se ferunt, aut seriore demum aetate sexus sui plumas cum masculis commutarunt.

Vnice adhuc memorare liceat, quod, quum haftenus non nisi in gallinaceo genere istiusmodi masculorum vt putantur ouiparorum quantum equidem sciam, innotuerint exempla, nuper tamen et a cel. **ERHARD** Prof. med. apud Erfurtenses meritissimo missum mihi esse Fringillae canariae ouulum, dimidio quam in his auiculis esse solet, minus, ceterum solitae figurae et coloris, quod quidem ab alite id generis non solum egregie canoro verum et reliquo habitu masculum sexum mentiente, positum est; de quo tamen iudicium haftenus ampliare praefstat, donec mortua auicula anatomicus culter sexum eius manifestarit.

Post

\* ) *Monatliche Unterredungen* a. 1696. pag. 883 fqq.

Post tot ceterum nuperis temporibus de hermaphroditorum animalium existentia et natura in vtramque partem agitatas disputationes, illud saltem verbo tangere liceat, perfectissima vere androgyna contra naturae ordinem animalium exempla in piscium classe occurrere; quorum bina specimina Cyprini carpionis paucarum hebdromadum interuallo in eodem lacu prope Northusam haud ita pridem piscata, amicitiae desideratissimi D. FILTER accepta refero, vtrumque aequo ouario suo ac lactibus illud amplectentibus rite instructum.

Feminea passim animantia virilem induere habitum vidimus; nunquam vero quantum noui mascula animantia sua sponte in feminea mutata esse obseruatum est; vtique vero in *castratis*, testibus suis orbis, nisus formatius abnormi quam inde patitur directione vniuersi corporis habitum femineum reddit. Nam in pueris eunuchis postquam adoleuerunt non solummodo barba non prouenit et genitalia minus hirta manent, neque vox in grauem virilem mutatur, verum et ilia latiora, nates ampliores, crura crassiora, mammae magis quam alias in viris solent fraterculantes, collum etiam genuaque magis rotundata feminei corporis formam externe aemulantur. Imo et corpus ipsorum magis habile, carnes autem moliores sunt, quid quod et ossa eorum teneriora dicuntur \*\*). Similisque in vniuersum habitus etiam in viris obseruatus, quos, aut inde ab vtero plane intestatos (vt Plautina ioculari vore vtar,) aut saltem cryptorchides fuisse, memoratur. Nec absimiles effectus sunt, quos alia calidi sanguinis ex vtraque classe, post castrationem patiuntur.

Memorabile autem phaenomenon praeter iam enarrata, ceruino generi post testium exfectionem contingere constat, intimum quod organa semen secernentia et cornua intercedit commercium, demonstrans; vbi praesertim capreolorum cornua post testium iacturam in ingentis subinde magnitudinis et mirae deformitatis exostoses easque perennes, excrescere notum est; cumque inter plura id genus egregia specimina quae in supelleftile mea zootomica seruo, vnum sit cuius curatiorem ortus et incrementi historiam teneo, operaे pretium duxi principalia eius momenta hic loci inferere.

Mense

\*\*) IAC. VERNET in *bibliothecae Italicae* vol. VII. pag. 121 sq.

Mense Iunio a. 1802 ad radices Bructeri montis in ambitu saltuario Hasserodensi repertus est capreolus vix sex ad octo dies natus, cuius nutritum praefectus saltus domesticis suis commisit. Primo trimestri ab initio lacte, post etiam panis frustulis eodem maceratis, et porro arborum foliis et herbis vescabatur, e quibus praesertim rubi idaei herbam, conuoluulum aruensem, trifolium pratense et crataegi oxyacanthae folia appetebat; proxime vero insequentibus mensibus varia magis victus ratione vtebatur ita vt praeter solani esculenti tubera et panem, obsoniis quoque coctis, et omnis fere generis ferculis quae culina praebebat delectaretur, nec carnes coctas et assatas, lardum, farcimina et caseum auersaretur. Poma praeterea, coffeae fabas et saccharum in cupediis habebat. Decembri eiusdem anni versus finem vergente cornua ei primum propullulare ceperunt, Martio proxime sequenti (a. 1803.) ita perfecta vt pellicea eorum integumenta rite poneret. Cum vero ab eo inde tempore ferociorem se gereret, et praesertim in feminas et infantes impetum faceret, iam sub initium Aprilis testes ipsi ligatura demebantur. Octiduo post hanc iacturam elapso prima ista cornua cadebant, quibus vero, insolito quamvis anni tempore, mox noua succedebant, quorum dextrum bifurcum, sinistrum contra tribus ramulis praeditum erat. Et in his quidem iam pellicum integumentum non suo tempore decidebat sed per totum eum annum restabat, tum autem primis mensibus anni sequentis (1804) quo scilicet tempore capreolorum cornua nondum adhuc induata et perfecta sunt (venatoribus inter nostrates die Kolbenzeit), in nostro non solum praeter naturae ordinem intumescere, sed et numerosos processus, in ossea substantia nodiformes in pellico autem integumento quasi cincinnatos protrudere incipiebant, quae proximo bennio, in ver vsque anni 1806, ita increuerunt, vt tunc quodus cornu spithame longitudinem attingeret, crassitie autem viri robusti antibrachium aequaret, pondus vero osseae tantum partis exsiccatae iunctim ad libram cum 10 vnciis accederet. Rami eorum clauati, dextrum binis sinistrum tribus bulbis rotundatis \*). Maximum eorum quotannis incrementum ipso illo quod modo diximus tempore, conspicuum erat, quo scilicet capreolorum cornua nuper nata adhuc tenera et quasi cartilaginea sunt. Molles vero quorum meminimus appendices cutaneae mensibus Iunio, Iulio et Augusto peculiarem excernebant humorem subalbidum, sed intolerandi fere foetoris. Cum

que

\*) Forma in yniversum isti similis cuius iconem KEYSLERI hodoeprico insertum visitur.

que crassa ista cornua in basi se inuicem contingerent in reliquo autem decursu parum tantum distarent, densum illud pelliceum tegmen cinnati quasi capillamenti speciem p[re]se ferebat, cuius partes laterales inferiores oculos animantis fere obtegebant, quod pondere monstrosorum cornuum demum obrutum, sustinendo capiti impar vltimis mensibus non nisi immoto ad latus capite humi iacere imo vero eam ob caussam non nisi aegerrime ruminare poterat, donec demum initio Martii a. 1806 extingueretur. Illud denique addere liceat, caprelolum hunc eum colorem griseum qui ipsi eo quo euirebatur tempore erat, per reliquam vitam seruasse, pilos autem quotannis tribus quatuorue septimanis ante tempus hisce animantibus a natura statutum mutasse.

### S. III. *Generatio hybrida.*

Iam ad aliam nisus formatui a normali suo tramite aberrationem, eam nempe qua ex diuersarum specierum foecunda copula *hybrida* animalia generantur. Et hanc quidem inter amphibia nonnulla, pisces aliquos et insecta quaedam in ipso libero naturae statu passim contingere posse negare non ausim. De eo autem valde dubito quod a doctis viris assertum legimus \*), calidi quoque sanguinis diuersas species sponte sua et absque hominis coactu subinde inuicem copulari. Ita v. c. cel. MICHAELIS, quondam noster, opinabatur \*\*) mulos primitus non tam hominum industria, quam naturae fortuito casu genitos esse; quam quidem spontaneam copulam homines postmodum in usum suum vertere et asinos equabus admittere mulosque sibi parare didicerint. Qui vero antipathiam cogitat qua equi asinas auersantur, cuius memorabile exemplum Herodotus in Persarum cum Scythis proelio memorat, vix isti opinioni calculum adiiciet et potius mecum S. AMBROSIO adsentiet, qui hunc asinorum et equarum coitum, adulterium iumentale appellat, hominis cura perpetratum, vtpote qui

\*) Imo vero celeber polygraphus ATHAN. KIRCHER vt arcam Noae pro recipiendis omnis generis animalibus satis spatiosam redderet, demonstrare nititur, longe pauciores diluui Noachici tempore extitisse animantium species, sed magnum eorum numerum hybridum esse, post eum cataclysmum sensim ex diuersi generis animantium copula prognatum. Marmotam v. c. alpinam ex taxi cum simia coitu, armadillos ex erinacei cum testudine congressu et s. p.

\*\*) Mosaisches Recht P. III. pag. 272.

qui aliena genera confundit, diuersaque semina miscet, atque ad **ve-**  
**titos coitus cogit inuitos**, et hoc industriam vocat \*).

Imo vero nonnulla hybridorum exempla quae ex animantium, domesticorum quidem, ast diuersi nimis generis imo ordinis copula prognata passim perhibentur, non tam ad hanc circa quam iam sermo est notham generationem quam ad vere monstrosam de qua supra egimus fabricam pertinere, memorabili nuper edoctus sum specimine felis domesticae, quam aliquamdiu viuam alui, dono viri Perill. L. B. DE REINHARD Legati Imperatoris Regis Francorum ad Regem nostrum Augustissimum. Et quidem anteriores huius catti partes, caput, dentes, collum, pectus, pedes antici, imo et venter ad lumbarem vsque regionem, omnia plane felina, caudae vero non nisi breue rudimentum, idemque dextrorsum flexum et quasi floccosum, crura autem elatiora et vara (extrorsum curuata) hincque incessus animantis ab eo cattorum valde abhorrens, quodammodo saliens, ita vt tum his anomaliis tum et singulari qua subsidebat positura, vtique ex omnium qui id tam Cassellis quam Gottingae viderunt, vnanimi consensu non insitiandam cum cuniculo similitudinem prae se ferret. Imo et rumor adferebatur, matrem huius animantis selem nempe domesticam a cuniculo, quorum nonnulli in iisdem aedibus alebantur et cum quibus familiariter eam lusisse narrabatur, compressam esse. Ceterum victu, totoque vitae genere se felium more gerebat, a maribus quoque suae speciei ex vniuersa vicinia ardenter expetebatur, hincque grauida facta statuto felibus tempore ternos peperit felinos catulos, perfecte formatos. Quod vero dum adhuc in viuis erat tactu explorare licuit, omnem singularis hujus deformitatis caussam in caudae praeter naturam abbreviatae et ossis sacri extremi versus dextrum latus flexione ossiumque ischii vbi acetabula iis insident vittiosa in superiora et exteriora obliquitate positam esse, hoc ipsum post obitum curatior indagatio aperte confirmavit.

Memorabile autem ipsam hanc singularem fabricam monstrificam saepius iam et quidem quantum haec tenus noui, vnicce in felibus obseruatam et plerumque pro hybrida progenie ex earum cum masculis cuniculis copula venditam esse \*\*), quam vero putatiuam originem

\*) Hexaëmer. I. V. c. 3. T. I. pag. 82 sq. oper. ed. Paris. 1686. fol.  
cf. (LYSERI) polygamia triumphatrix pag. 336.

\*\*) v. ROB. MORAY in BIRCH's history of the Royal Society vol. I.  
pag. 393.

nem triplici argumento refellere licet. Et quidem 1º loco iam ingens diuersitas quae felinum et cuniculorum genus intercedit, respectu totius fabricae, dentium inprimis et mandibularum, tum viscerum, praesertim abdominalium, vietus et vniuersae vitae rationis eam longe maxime improbabilem reddunt.

Tum vero 2º accedit nimia gestationis termini in utroque isto animantium genere discrepantia; siquidem felis per integras nouem septimanas grauida est, cum contra cuniculis dimidium huius temporis, quatuor scil. cum media hebdomades ad maturandos et in lucem edendos foetus sufficient, et ex Aristotelico canone, naturae perfecte consono, nulla diuersae speciei animantia hybrida inuicem generare possunt, quae grauiditatis periodo nimis differunt.

3º autem loco quod calidi sanguinis animantia hybrida non quam utriusque parentis ita diuisam et quasi dimidiatam praefferant corporis habitum ut anterior pars vni tantum, posterior autem alteri similis sit, sed, quod in diuersarum *specierum* miscela muli, in eiusdem vero speciei *varietatibus* inuicem coeuntibus, vel in ipso humano genere Mulattae monstrant, vniuersi corporis conformatio medium inter utrumque parentem teneat.

Vere monstrosam autem esse istam quam diximus in felibus paſſim obſeruabilem fabricam anomalam nuperum quoque docet ſimilis catellae Parisiis editae exemplum, quam quidem non ex cuniculo genitam, ſed, (etſi non maiore probabilitatis ſpecie) imaginationis maternae vi ita deformatam eſſe perhibebant \*). Ceterum eam meo quod deſcripsi ſpecimini ut ouum ouo ſimillimam fuiffe, e non uno teste autopta didici, e quibus cl. DE VILLERS collegam coniunctissimum honoris cauſa nominare liceat.

#### S. IV. *Animalia in varietates ſic dictas degenerantia.*

Vti autem ex monſtrifica quod vidimus conformatione quaedam animalia paſſim quibusdam corporis ſui partibus aliorum fabricam aemulanti-

et aliud exemplum in Io. MORTON'S *natural history of Northamptonshire* pag. 446.

\* Bibliotheque Britannique (Sciences et arts) T. XLIII. 1810. pag. 265.

mulantur; ita et ultima quae adhuc memoranda restat, nisus formatiui aberratione qua quidem primitiuae species in diuersas varietatres degenerant, quaedam earum itidem quoad quarundam partium habitum aliis et quidem passim longe diuersis animantibus similes apparent, quod vel rei equariae studiosis notissimum est, qui in quibusdam equorum varietatibus caput vel arietino, vel taurino, collum siue cigneo siue suillo etc. comparare solent.

Maxime autem huiusmodi analogia in ipso humano genere obseruabilis est, vtpote in quo tum integrae quaedam nationes capitis praesertim et faciei forma gentilitia aliis animantibus, et maxime simiis similes dicuntur, tum vero inter singulos eiusdem gentis et stemmatis homines haud inficiandam interdum occurrere cum aliis animalibus quoad vultum similitudinem, quotidiana docet experientia.

Et hic quidem eadem valet obseruatio quam in capite huius commentationis tetigimus vbi de fabrica vere monstrosa differuimus, non raros quidem esse homines quos vni alteriue animanti quoad habitum corporis comparare licet, nullum autem quantum nouimus animalium brutorum exemplum, (ne dicam integrum varietatem.) quod parte aliqua corporis ullam homini soli propriam aemulari dicendum sit.

Nititur autem ista analogia quae hominum singulorum cum brutis quibusdam respectu corporis sui fabricae externae intercedit, physiognomorum ad Aristotelis inde temporibus studium, humanum vultum cum eo aliorum animalium ex mammalium praesertim classe comparandi. Eminuit in his haec tenus IO. BAPT. PORTAE opus cuius equidem comparatiuas hoc respectu icones \*) iis longe preferre oportet, quas postea magni nominis pictor CAR. DE BRUN tabulis aliquot aeri incisis exhibuit vtpote quibus omnem naturae veritatem longe excedere dicendus est; verum omnibus in eo studio antecepsorum tentaminibus palmam praeripuit summus in suo genere artifex GVL. TISCHBEIN vtpote qui binis tabularum aenearum seriebus tum numerosorum diuersi generis ex mammalium classe animantium genuina et graphice ad ipsam naturam expressa capita, tum vero compa-

\*) in compendium redactas et una eademque tabula PORTAE sparsas icones iunctim expressas v. in W. GOEREE schilderkonstig Ontwerp der Mensch-Kunde pag. 297.

comparatas cum his ipsis tam celebrium et famosorum virorum quam ideales quasdam graecanicae artis statuariae imagines exhibuit.

Et in his quidem vel parum adhuc in hoc studiorum genere exercitatos primo intuitu luculenta analogia commoueri toties expertus sum, quae humanam non tantum physiognomiam et ethicum quasi characterem, sed et ossicularum partium quae ipsis pro basi sunt, cum animantium vultu et capitinis forma intercedit.

Quantopere enim et ipsum caput osseum in singulis hominibus bruti cuiusdam animantis speciem praefere posse, inter alia binis exemplis craniorum euidenter eluescit quae in supellestile mea anthropologica seruo, Casacci inquam Donensis et Tatari Casanensis; quorum quidem hoc, facie praesertim a latere spectata, mitem et placidum ouium characterem, illud vero leoninam quasi ferociam exhibet. Alterum herbivorum hominum, quos TISCHBEINIUS ita vocat, alterum carnivorum quasi prototypum repraesentare dixeris.

Huiusmodi nisus formativi varietates quibus humana forma bruta quadamtenus adsimulatur vel in sanissimis et perfecte ceteroquin se habentibus hominibus occurrente, quotidiana experientia docet. Quantum vero ea similitudo in miseris qui inde ab ortu amentes et rationis expertes adoleuere, omnes humanae formae limites quasi excedere et in bestiale plane degenerare possit, alia bina specimina medocuerunt itidem diuersis quas dixi classibus quas TISCHBEINIUS tanquam ex directo oppositas statuit, comparanda. Alterum quod Parisiis apud virum humanissimum, praeter tot alia merita classico de morbis mentalibus opere celeberrimum, PH. PINEL vidi, ouillo simillimum, paruitate quoque miranda conspicuum, cuius descriptionem et iconismum propediem ab eo eximio viro expectamus, qui inter alia mihi narravit imbecillem plane et stupidum hominem cuius hocce cranium fuerat, quamdiu vixerat moribus quoque ouinis conspicuum fuisse, eodemque quo haec animalia solent, impetu in alios capitulo suo irruisse et quasi arietasse.

Alterum vero cuius iconem subiungo (— Tab. II. —) nuperdemum cura reuerendi SCHÜTZ concionatoris aulici Buckeburgensis ad me peruenit, et bestiale potius ferociam exprimit. Fuit hoc hominis triginta annos nati, ab incunabulis vero inde plane stupidus et mire voracis, forma tamen sua longe magis horridum et belluimum quam vnumquam siue vlli Cretini siue aliis insani caput vidi.

In vniuersum mole perexiguum est sed pro ea paruitate valde ponderosum. In longe plurimis vtriusque lateris partibus si eas inuicem comparaueris, asymmetrum; quod vero primo aspectu oculos mouet, mira est ossis frontis tum horrenda depresso, tum breuitas. Maxime vero triangularis eius area eminentibus asperis lineis ad latera circumscripta, quae pone futuram sagittalem plane obsoletam ita vtrinque decurrunt, ut arcuati margines planorum semicircularium vt osteologis audiunt, prope eius futuræ locum vix digiti latitudine ab inuicem distent. Glabella valde protuberans, orbitae insigniter profundae, fissura orbitalis superior vtrinque amplissima, fossa basilaris ampla et plana \*), cliuus vero retro sellam turcicam alte porrectus \*\*). Dentes incisores superiores horride oblique prominentes. Et quod omnium maxime bestialem cranii characterem testatur, foramen magnum occipitale vix duos digitos transuersos a postico basis cranii extremitate distans; adeoque longe minus quam in Simiae satyri aut alias cuiusvis simiae aut papionis aut cercopitheci crano, quorum numerosa exempla ad manus habeo. Diameter totius cranii inde a protuberantia occipitali externa vsque ad dentium incisorum superiorum extemos margines = 7 vnc. occiput latissimum ad processus mastoideos = 4 vnc. 8 lin. altitudo vero caluariae, si demta maxilla inferiore tabulae horizontali imponitur = 4 vnc. 3 lin. cum contra elegans Europaei caput eadem ratione mensuratum 6 vnc. 4 lin. aequet.

Facile ceteroquin patet quibusnam cauiss tam enormis huius cranii deformitas tribuenda sit. Ab una nempe parte vitiosae cerebri hemisphaeriorum configurationi; ab altera vero actioni vehementiori muscularum masticationi inseruentium, masseterum inprimis et temporalium.

Haec in singulari plane et monstrifice morboſo exemplo, quod in suo genere fere vnicum appellare licet.

At

\*) de varia huius *fossae* in diuersis craniis ratione egi in opere osteologico ed. 2. pag. 100.

\*\*) Et de *clini* memorabili varietate differui in eodem libro pag. 166 sq.

Pluribus vero summum eins in morbosis encephali affectionibus momentum exposuit desideratissimus Ios. WENZEL opere posthumo über den Hirnanhang fälschlicher Personen p. 14 sq. et al.

At enim vero et easdem quas diximus vires iu ossium figurations agentes in ea quoque nisus formatiui aberratione obseruare licet qua primitia animantium stemmata in constantes et hereditarias varieta-tes degenerant. Instar omnium ex his nominare liceat memorabilem fane varietatem gallinarum domesticarum quae crista verticali plumosa densissima et inde pendente tubere bullato sincipitis insigniuntur \*). Postquam enim numerosa capita earum et variae quidem aetatis anatomico subieci cultro et curate inuicem comparaui, deprehendisse mihi videor caussam mirae huius deformationis principem in arcta transuersali strictura integumentorum capitis positam esse qua quidem caluariae regio eidem subiecta adeo a normali suo incremento et quasi euolutione retinetur et impeditur vt ipsum quoque cerebrum eo loco quo cerebellum attingit arcte constringatur, ita vt antrorum pressum sursumque elatum caluariae anteriorem partem in osseam bullam hinc inde pro ratione voluminis foraminulis diuersimode pertusam inflet quasi, occipitalis vero eius pars ob minus cerebelli incrementum depressa magis appareat; ipsa autem caluaria mire ita inflata tenuior multo euadat ac in aliis gallinis solet, quas quidem tam vtriusque cerebri quam craniorum differentias binae icones longitudinalem et verticalem sectionem recentium binorum capitum, altera nempe vulgaris gallinae (— Tab. I. fig. 3. —) altera vero varietatis de qua agimus cristatae (— Tab. I. fig. 2. —), luculenter visendas exhibent.

Notus vero ceteroquin effectus quam grauis haec cerebri defor-matio in animae facultates harum gallinarum exserit, vtpote quas tan-tum non semper etsi vario gradu stupidas et quasi dementes esse constat.

Quod vero supra de nisus formatiui aberrationibus a nobis asser-tum est, eas scil. in sequioris sexus animantibus longe frequentius lo-cum habere quam in masculis, eo ipso quod modo diximus varietatis gallinarum vertice tuberoso insignium exemplo probatur, cuius equi-dem deformitatis tenuia saltem rudimenta eaque non nisi perraro in gallis obseruantur.

Mirum

\* ) Primus horum craniorum mire deformium meminit, quantum equidem noui P ETR. BORELLVS *histor. et obseruat. rario*. pag. 154. edit. 1656. tum curatius KIL. STOBAEV<sup>S</sup> in *act. liter. Sueciae* vol. III. 1730. pag. 53.

PALLAS *Spicileg. IV.* pag. 22.  
et E D. SANDIFORT in *museo anatomico acad. Lugd. Bat.* 1793.  
T. I. pag. 806.

Mirum vero, meritissimo PALLAS probabile videri potuisse \*), ipsam hancce gallinarum sincipite bulloso laborantium varietatem ex hybrida Numidae meleagridis cum gallinis vulgaribus coitu ortum duxisse; quae quidem opinio, vt alia taceam eidem plane contraria, vel curata dissectione capitis cornuti istius avis, cum craniis gallinarum cristatarum collati, facile refellitur. Siquidem in meleagridide, parua illa ossea apophysis conica et compressa, quae frontali capitis parti infidet, solida plane est, neque vel minimam cum cauo caluariae nexum monstrat, quae vero ipsa perfecte vt in aliis eiusdem ordinis avibus, secundum naturam se habentibus, comparata ne remotam quidem cum istarum gallinarum tubere bulloso analogiam p[re]fert se fert.

\*) in *Act. acad. Petropolit.* a. 1780. P. II. pag. 97.

**Explicatio tabularum,  
in quibus figurae omnes naturali magnitudine depictae sunt.**

**Tabula I.**

- Fig. 1.** Embryo humanus trimester sequioris sexus atresia vniuersali correptus.  
*a. b.* manus clauatae  
*c. d.* pedes vinculo intermedio inuicem coaliti  
*e.* papilla dubiae significationis  
*f.* clitoridis tenue vestigium seu potius simulacrum.

**Fig. 2.** Sectio verticalis et longitudinalis cranii recentis cum cerebro istius gallinarum varietatis, quae sincipite in bullatum tuber excreto insigne sunt.

**Fig. 3.** Similis sectio capitis cum contento cerebro gallinae vulgaris.

**Tabula II.**

Cranium horrendae deformationis, hominis tricennarii, inde a natuitate stupidum ac imbecillimi.

TAB.I.





